P. 1788

II.4.221

II

Capitulum Provinciæ Litvanæ Ord. S.B.M. Congregationis Ruthenorum Præside Perillustri Rndmo Domino Porphyrio Skarbek Ważyński Ord. S.B.M. Congregationis Ruthenæ Proto=Archimandrita, Abbate Zydyczynensi, Protectore Collegii Vladimiriensis A. D. millesimo septingentesimo Octagesimo Octavo. diebus Octobris in monasterio Abbatiali Zydyczynensi celebratum.

Sessio Ima

Sessio hæc die 6ta 8bris N.S. horis pomeridianis habita Præside eodem Pri Rmo Proto Archimandrita. Præmisso de more hymno invocationis Spiritus Sancti, ac lecto Catalogo Patrum jus interveniendi, Capitulo juxta Antiquam Schedam habentium, electus est in Notarium Capituli A.R.P. Damascenus Rymarzewski Superior Novogrodecensis qui juxta praescripta Capitulor Generalium emisit juramentum in manibus Pris Rndmi Proto Archimandritæ formulâ in Capitulis Generalibus adnotatâ.

Lectæ deinde sunt Regulæ Capituli Generalis Torokaniensis concernentes Capitula Provincialia, qua nimirum Autoritate polleant, qua ratione ac Methodo celebrari debeant!

Quibus Lectis Præsens Capitulum inhaerendo Systemati Capituli Grlis Torokan de imminuendo numero vocalium, futuram Schedam ad triginta Personas præter Officiales Generales et Provinciales reduxit, atq contraxit, quæ est ejusmodi:

Pres Rmi Domini Abbates Zydyczynensis, Braslaviensis, Grodnensis, Leszczynensis, Kobrynensis, Dorohobuzensis, Dermanensis, Polocensis, Trocensis, Dubnensis, et Cerejensis.

At RR Pres. Superiores Monasterior: Vilnensis, Zyrovicensis, Bythenensis, Torokaniensis, Berezvecensis, Chelmensis, Berunensis, Oviatensis, Vladimiriensis Antopolitanus, Brestensis, Kozanensis, Minsensis.

Magistri Novitior duo: Bythenensis et Berezvecensis. Professores Theologiæ duo, Professor Philpiæ unus. antianus, et Ordinator Vilnensis.

De Professoribus Theologiæ statutum est, ut non attento, sive scholastico speculativo Dogmaticam, sive pure dogmaticam tradant, ii pro vocalibus assumantur, qui aut meritis, aut vocatione aut Ancianitate

reliquis conprofessoribus praeant, dummodo assumendi ex diversis sint Nriis, in quibus hocce Studium pertractatur.

Hac occasione mota est quaestio, num Professores Theologiae Alumnatus Pontificii Vilnensis admittendi sint ad Catalogum Vocalium? adductaeq sunt in contrarium rationes: 1ma quidem, quod perspectum sit reditus ejsdem Alumnatus adeo stricte definitos, determinatos et circumscriptos esse, ut non sufficiant sufferendo oneri expensarum, quae pro viatico impendi deberent, injunctio vero cuipiam Monasterio earundem expensarum nimis gravaminosa videretur. Altera, quod si Professores Alumnatus ad beneficium Vocalitatis admitterent, aequa ratione, imo potiori jure admittendus esset Rector ejusdem atq adeo contra mentem Capituli Generalis Numerus Vocalium Personarum extendi augeriq deberet. 3tia deniq est: quod tempus celebrandorum Capitulorum frequenter in eos incidat menses, quibus Lectio Theologica in Alumnatu omnino esse tradenda.

His ita compositis deputati sunt ad calculandam Cassam subsidionalem Pris Rnmus D Lucidus Woynitowicz Abbas Kobrinensis ac V A R P Benedictus Eliaszewicz ex Secretarius Ordis; ad Calculandam vero Cassam Provincialem V A R P. Athanasius Zalkowski Cter Provinciae et A R P Sylvester Antonowicz Superior Zyrovicensis

Sessio Secunda

Haec sessio agitata erat die 7ma praesentis NS. horis itidem pomeridianis Praeside Rmo Domino Hieroteo Korczynski ex Vicario Grli Ordis. In qua ad mentem Capituli Generalis Torokanensis placuit Patribus congregatis duo determinare Monasteria, alterum pro Nosocomio, alterum pro Domo Recollectionis. Nosocomium quod attinet, illud spectata aeris salubritate et facultate loci in Monasterio Borunensi fundandum esse voluerunt, pro Domo autem Recollectionis Monasterium Ladense determinarunt. Sed quia Monasterio Borunensi ex lapide cocto erigendo nondum ultima manus sit imposita, nec id brevi tempore perficiendum speratur, ob hanc potissimum rationem: quod apud se sustentat Theologiae Dogmaticae Studium, nec esset par et huic Studio, et Nosocomio, quod non mediocres sumptus praerequirit sustinendo. Ea propter recomendatum esse futuro Rmo Officio Provinciali, ut illi Monasterio de necessariis huic Negotio commodis prospiciat, et tunc demum sancitum Capituli praesentis executioni demandet.

pari ratione eidem Rmo Officio injunctum est, ut, si in praesenti Capitulo subsidium congruum Monasterio Ladensi intuitu futurae ibidem Domus Recollectionis adferatur, curet ita idem Monasterium muniendum; quatenus discoli monachi nec iis, quae ad reparandum spiritum, nec

iis–

jis quae ad Securitatem et Custodiam Corporis pertinent, cum gravi in co mmodo destituant. Futuris tamen Capitulis non esse negata potestas pro rerum temporumq' circumstantiis tam Domum Recollectorum, quam Noso comium in alio quopiam Monasterio designare.

Cum in praesenti Generali Capitulo visum sit Patribus Congregatis non esse infringendam vel immutandam legem Capituli Gnralis Brestensis de Loco residentiae Officii Generalis in Monasteriis Poczajoviensi et Torokan nensi servato mere alternative, ideoq' pro hac etiam vice Officium Grale sit annexum Monasterio Torokanensi quod auctis inde expensis n' foret idoneum retinendo Tyrocinio Rhetorices Minoris, placuit hocce Studium alio transferendum et collocandum in Monasterio judicio futuri Rmi Of ficii Provincialis determinando.

Sub finem hujs Sessionis unanimi consensu definitum esse, ut futurum Rmum Officium Provinciale deligat, si opus fuerit, unum aut duos Viros Religiosos rerum gerendarum gnaros ac bono Religionis addictos, qui in praesentibus Generalibus Regni Comitiis Varsaviae Negotia suae Provinciae una cum A.R.P. Procuratore Varsaviensi promoverent. Sumptus ad id necessarii tantisper ex Massa Provinciae extradentur. Hi itaq' delegati finitis Regni Comitiis tenebunt Officio Provinciali fideliter omnia, quae gesserint, defferre, et calculum expensar' dare praestito etiam juramento, si ita videbitur eidem Officio. Finito calculo et computatis expensis quot compertum fuerit erogatum esse, tot summae pecuniariae repetetur per Rmum Provincialem ex Singulis Monasteriis justa facta distributione ad reparandam Cassae Provinciae

Sessio 3tia

Die 8va praesentis horis matutinis Praeside Pri Rmo D. Proto Archimandrita Congregatis Patribus A.R.P. Alexander Baranski Rector Vladimiriensis Eggregium instituit Sermonem, ac Nomine sui Collegii concinnendo ad rem apposite toti Provinciae Nostrae gratum ac memorem contestatus esse Animum, iis potissimum, qui fabricae ejusdem Collegii opem pecunia riam pro viribus suis contulerunt.

Primas hac in re partes disertis verbis detulit Pri Rmo D. Porphyrio Skarbek Wazynski Proto Archimandritae Congregationis, qui praeterquam quod ex suo Abbatiali Monasterio Singulis Annis mille florenos Polo nicales promovendae huic Fabricae ob suam paternam in id collegium pro pensionem clargiri solitus erat, aliis praeterea possibilibus modis durante suo Officio Provincialatus, quod cum summo Religionis commodo ac bremento prae clare gessit, eandem fabricam fulcire non gravabatur.

Quare instetit precibus, ut Illi incomparabili in nostra Congregatione Viro preter cæteros Titulos, quos æquissimo jure vendicat, Titulus etiam Protectoris Collegii Vladimiriensis superadderetur.
Sed ne ea omnia solo verborum apparatu ad assentationem composita vide rentur, prefatus ARP Rector declaravit suum Collegium libere suscepisse et sibimet imposuisse hanc perpetuam et inviolabilem obligationem; ut semel de Anno una Missa Cantata celebretur, et perpetuum fiat memento a Singulis Presbyteris idem Collegium in habitantibus pro piis loci hujusce Benefactoribus.
Quia interim Fabrica hujusce Collegii subtracto ulteriori subsidio non posset terminari, ea propter ab Eodem expetitum est, ut sua Provincia qua hucusq, eadem ulterius benevolentia, liberalitate ac Protectione su Collegio opitulari non dedignetur.
Presens Capitulum et Obligationem Collegii Vladimiriensis libere sibi impositam de cantandi Sacrificii Missæ excepit humanissime, d in= Titulum Protectoris Collegii Vladimiriensis libenter consensit, et ulterior Beneficiorum prosecutionem benevole appromisit.
ab Eodem ARP Rectore exhibita est Charta Topographica Ecclesiæ, Col= legii et Officinarum ex qua demonstravit id Collegium nimia loci Angus= stia premi, atq intulit necessitatem faciendæ commutationis nonullar Arear et Dificiorum perpetuo jure ad suum Collegium pertinentiu sed longius distantium in Areas et Dificia viciniora, quæ possidentur partim ab Illma Domina Cunegunda de Ducibus Sanguszkorum Czacka Ex=Cubiteris Regni Conjuge, partim a Monasterio Zahoroviensi Ordi nis Nostri Provinciæ Polonæ, partim etiam ab Aliis, postulavitq: ut sibi Detur copia faciendæ ejusdem Commutationis.
Patres Congregati censuerunt supplicandum esse, uti et defacto nunc supplicant Illmæ Czacka Ejusq Successoribus, ut pro sua Magnanimi tate ac Zelo promovendæ publicæ Educationis huic commutationi clementer consenciat. Easdemq deferunt preces almæ Provinciæ Polonæ in casu commutationis Areæ ad Monasterium Zahoroviense spectantis.
Committitur autem ARPi Rectori ut prahabito Beneplacito Apostoli co hoc negotium omni meliori modo, servatisq de jure servandis, ad Exitum deducat.
Quoniam Pris Magnificus Dominus Ignatius Korowicki Dapifer terræ ~~Log~~ Gostinensis ex plena gratitudine erga B Martyrem Josaphat Archi Eppum Polocensem, memor Beneficii sibi prestiti in recuperata Corporis valetudine pijssimum votum suum perpetuis Suffragiis sin gulis hebdomadis unius Sacrificii Missæ lectæ in Ecclesia nostra Bialensi pro Animabus defunctor offerendæ postulavit a Pribus Con gregatis approbandum, atq pro debito Stipendio Decem millia flore norum Polonicalium 10000. pro die 24 Junii N.S. Anno Sequente Millesimo Septingentesimo Octuagesimo Nono. Monasterio Bialensi

se se.

se se exsoluturum sollenniter obstrinxit, et jam ab eadem summa septin gentos Florenos Polonicales annui census numeraverit, hinc praesens Capitulum ejusmodi Votum comprobans non modo pissimo huic desi derio Annuit, verumetiam ipsummet Rem Magnificum Dominum Ignatium Korewicki subsecuta summae praeexpressae solutione ad merita suscipiendum religiose spopondit.
Non minorem zelum ac pietatem suam in promovendo cultu Ejusdem B. Martyris Josaphat commonstravit A.R.P. Tymotheus Szczurowski modernus Rector Missionis Bialensis cum summam usus proprii florenos Polonicales sex mil lia 6000 Eidem Monasterio applicaverit hac mente et conditione: ut in dicto Monasterio Bialensi quatuor Pueruli vere Pauperes, cantui ecclesiastico de diti impensis Monasterii perpetuo alantur et vestiantur.
Unde cautum est, ut haec Summa 6000 quae conjuncta summae Viginti Mil lium 20000 Florenorum polonicalium reperitur nunc pro annuo censu locata apud Illum Magnificum Dnum Franciscum de Tenczyn Comitis Osso linski Vexilliferi Podlachiae, inexpendibilis ac inerogabilis maneat.
Ex Parte Monasterii Laurysoviensis propositum erat Systema, ut Summa Trium millium 3000 Fl: Pol: haerens Vilnae in Synagoga et Inipiscensi transfundatur in Cassam Typographiae nostrae Vilnensis, exqua annuus census facilius Monasterio Laurysoviensi statis temporibus transmitti posset. Sed cum Capitulum gravioribus distentum sit Negotiis, idem Systema pariter ac nonullas pretensiones ad Monasterium Novogrodecense futuro Officio Provin ciali inspicienda, decidenda, et componenda commendavit.
Porrectae sunt dein Literae V Josaphatae Trzecialkowna Ordinis nostrae Supe riorissae Monasterii Vladimiriensis inquibus nomine suae Communitatis supplicat Capitulo praesenti, ut Ecclesiam in loco Nativitatis B. Martyris Josaphat ex Lapide cocto olim cura et zelo Pris Rmi Dni Proto Archi mandritae praesentis splendide extructam in Civitate Vladimiriensi cum ad jacentibus Areis ad Collegium Nostrum Vladimiriense pertinentibus cedat juri suo. Unde et integritati Ejusdem Ecclesiae, si penes eam erigeretur Mo nasterium, et Cultui B. Martyris egregie prospiceretur.
Patres Congregati explorata petitionis aequitate, eidem assensere. Ut autem hocce Negotium feliciter terminetur, censuerunt recurrendum esse Sanctimo nialibus Vladimiriensibus ad Rmum Officium Generale, quod perpensis perpen dendis rem integram ultimarie decidet.
His ita digestis et compositis accepit Capitulum praesens ad expendendas nonullas Regulas et Constitutiones praeteriti Gnralis Capituli Torokanensis.
Ac Imo facta mentione Studiorum, quibus erudiuntur Juvenes nostri Reli giosi, et proposito dubio, num omnino in iisdem Monasteriis, inquibus ad praesens, retinenda sint. censuit Capitulum non ligatam esse potestatem Officii Provincialis transferendi ea ad alia quaepiam Monasteria, justis id svadentibus ratio nibus.

Eidem -

Eidem Officio commissa est coordinatio seu Regulamen studiorum juxta Systema Rndi Pris Juliani Antoniewicz Praefecti Scholarum Vladimiriensium ab aliquot annis publicae Educationi cum non postrema nominis sui laude itidem adlaborantis in quo nimirum Systemate ad mentem Illmae Praefecturae Educationis ita posset nostra instrui Juventus, ut subsequis temporibus apta evaderet publicis tradendis disciplinis.

Huc referenda est dispositio Capituli praesentis, ut penes minorem majoremq Rhetoricam Studium etiam linguae Graecae foveatur salvo tamen studio Latinitatis ac caeterarum linguarum: uti Gallicae, Germanicae ctt. si jis commode possit imbui Juventus scholastica.

Innovata est tandem Constitutio Capitulorum, ut Resolutio Casuum Conscientiae qualibet Septimana in Singulis fiat Monasteriis, additumq est sequens praesentis Capituli Sancitum: ut ji, qui antea pro capacibus recogniti, et in Ordine ad excipiendas fidelium Confessiones approbati fuerant, tandem ob incuriam comparatae Scientiae obliti sub tempus Visitationis Canonicae incapaces invenirentur, non solum Suspensione ab excipiendis Confessionibus, sed etiam subtractione omnis potus generosioris, etiam Cerevisiae puniantur, donec se Capaces, et in Theologia morali probe versatos non indubio Argumento commonstrent.

Pariter pro Parochis Regula Capituli Torokanensis in integro confirmata est, cum addita hac lege: ut Superiores, vel Parochi, vel denique a Superiore missi ad renovanda Sacra Olea studeant ab Officiali vel Decano suae Parochiae testimonium renovationis accipere idemq sub tempus Visitationis Canonicae teneantur exhibere suo Visitatori.

Ad compescendam nonnullorum Arrogantiam, qui eo ipso, quod Concionatoris munus exerceant, temere autumnant natos se esse Promotores Confraternitatum absq ulla, eaq ex natura status Religiosi debita subordinatione Superiori loci; placito praesentis Capituli declaratur: non omnino annexum esse Officium Promotoris Officio Concionatoris, ac liberae Superiorum dispositioni relinquitur quemcunq alium e Religiosis, suadentibus id causis rationabilibus, ad id Officium deligere, deputare, et designare. de jisdem Concionatoribus statuitur, ut obventiones ex ejusmodi munere provenientes, uti sunt Stipendia pro denunciationibus Sacramenti Matrimonii, item pro Sacrificiis Missarum ex cassa Confraternitatum pendi solita ad communem Cassam Monasterii in integro reddant, nisi aliter Superiori loci visum fuerit.

Confirmatum item est, ut munus Fiscalis Provinciae penes munus Superioris Torokanensis retineatur, idemq teneatur juramentum praestare in manibus Dni Instellatoris in Superiorem ejusdem Monasterii.

Postremo indagatum est: num lex Capituli Provincialis Torokanensis de Archivis Provinciae praesenti turno executioni demandata fuerit? patuitq horum Monasteriorum Archivia revisa et ordinata fuisse: nimirum per AARP Heraclium Boryszo Zyrov. Volnenses, Darovie et Ceprenses per AARP Gedeonem Hajenski Byten. Zysloviae Rozan et Hotensis per subrogatum in ejus locum AARP

Jasonem

Jasenem Nowicki Torokan, Bresten, Biatensis, Antopolita: Kobrinensis Novosiotoce
censis et Drohicensis. Cujus Officii executionem ac ulteriorem continuationem
ut futurum Officium Provinciale diligenter urgeat, apprime commendatum est.

Sessio 4ta

Die eadem a prandiis Praeside Rmo Dno Asystatheo Kerczynski ex Vicario Gnrali
Ordinis Pris Congregati memori recolentes animo beneficia liberalissime collata Illmor
Excellentissimorum ac Rmorum Dominor Antistitum Maximiliani Rytto Eppi olim
Hetmensis ad praesens Premisliensis, item Joachimi Horbacki Eppi Pinscensis quo
rum nomina et laudes nullis unquam in Provincia nostra obliteranda sunt
temporibus, debitam utriq cum pleno venerationis obsequio contestarunt gratitudinem.
Horum Primus monasterio Hetmensi summam Viginti millia florer Poloniicalium
ad Instituendam Juventutem Religiosam Studii Phi Phicae perpetuis addidit tem
poribus, pro sua etiam in B Martyrem Josaphat Cujs egregium Typum ge
rit, profusissima pietate multa praestitit Beneficia, quae concernunt decorem et
Ornamentum Ecclesiae nostrae Biatensis, in qua Venerandae Ejusdem Divinis
simi Martyris Exuviae publico Cultui expositae requiescunt. Alter vero Illu
strissimus scilicet ac Excellmus Eppus Pinscensis Summam decem Millia
florenorum Polonicalium Monasterio nostro Antopolitano pro Studio Rhetorices
in Capitulo Provinciali Torokanensi Anno 1784 promissam liberaliter elocavit.
Horum Antistitum insigne in Religionem aemulatus Studium ac propensionem A
RP Hieronymus Artecki Superior Minscen obtulit suae Provinciae Summam usus
Proprii decem millia florenor Polonicalium 10000 eamq Monasterio Biatensi
intuitu promovendi cultus B Martyris Josaphat sine ullo onere applican
dam esse postulavit, se autem protestatus est Religiosissime teneri ad exolven
dam eandem Summam Anno sequenti 1789 die 24 Junii N.S.o Hanc itaq
Istius Viri in Religionem aliunde rebus praeclare gestis in singulis Monas
teriis, inquibus Superioris munere functus est, optime meriti omni, qua par
est venerationis et gratitudinis contestatione praesens Capitulum acceptavit,
Eamq Summam inexpendibilem, sed pro Annuo censu locandam pronunciavit.
Facta tandem mentione de vindicanda summa decem millium Flor Polonicalium
usus olim Plris Rmi Dni Augustini Nowosielski Abbatis Kobrynensis =
quam utpote juris sui Pris Rmus Dnus Lucidus Woynitowicz modernus Abbas
Kobrynen in praedio Krzywoblotty in Palatinatu Brestensi ase locatam in Capi
tulo Provinciali Torokanensi Provinciae cessit eandemq Provincia Collegio Vladimi
riensi applicavit; suspensa est resolutio danda ab Officio Provinciali, cuinam
e Religiosis vellet committere ulteriorem prosecutionem Juris, cum VAPP.
Benedictus Eliaszewicz ex Secretarius Ordis ob graves rationes huic causae
ulterius invigilare nequeat.
Quod attinet promissas Fundationes de nova radice Per P MM DD Ignatii
Szyren ex Judicis Castrensis Braslaviensis in Villa Hermanowicze dicta et
Basilii Szkultyn Colonelli Exercituum MDL. in Villa Albrychtowo recomen
datum est futuro Officio Provinciali, ut id Negotium omni possibili modo studeant
promovere.

Sessio 3ta

Habita die 9 8bris N.S. horis matutinis Praeside Illmo Rmo Dno Proto Archimandrita Ordo.

In hac Sessione cum ventum esset ad faciendum Calculum Cassae subsidionalis patuit: quod apud Depositarium nimirum ARP Sylvestrum Valczewski Superiorem Byten debeant inveniri de praeterito turno Flor Pol: decem millia, quadringenti viginti quinque asses viginti sex. 10425. asses 26. cum dimidio de praesenti vero turno Quatuor millia Septingenti octuaginta asses septem 4780 asses 7. cum adjectis Flor Pol Ducentis 200.

Item dimidium proventus ex Typografia vilnensi praeteriti turni flor Poloni- Novemdecem millia Centum triginta septem. 19137. praesentis vero turni itidem dimidium proventus ejusdem Typografiae flor Pol: Sex decem millia Septingenti octuaginta septem asses decem. Nro 16787. asses 10.

In Summa tam ex derelictis Religiosorum, quam ex Typografia utriusque turni= fl Pol: Quinqginta et unum millia trecenti triginta asses tredecim cum dimidio Nro 51330. asses 13. 1/2.

Quia vero Typografia Vilnensis ad extinguendum debitum Monasterii Antopolitani exsolvit Monasterio Kasutensi fl Pol mille Nro 1000 id circo remanent pro Cassa subsidionali fl: Pol: duntaxat Quinquaginta millia trecenti triginta asses tredecim cum dimidio Nro 50330 asses 13 cum dimidio ~~ad~~

Ad Eandem Cassam Pertinent nonullae Summae repetendae a quibusdam Monasteriis et inferendae in Regestra perceptiva subsecuta earundem exsolutione nimirum: post fata VARRdis Meletii Giedroyc Consultoris Provinciae fl Pol: Quadringenti Octodecim asses viginti Nro 418 asses 20. a Monasterio Suchoviensi, pro derelictis RP Benedicti Smylowicz fl Pol: Viginti Octo. 28. a Monasterio Illustensi repetendi veniunt. Summa repetendorum fl Pol Quadringenti quadraginta sex asses viginti Nro 446 asses 20.

Summam praeexpressam Cassae subsidionalis Capitulum praesens conformiter ordinationi Capituli Provincialis Torokanensis Anno Millesimo Septingentesimo Octuagesimo quarto de sublevandis ex hoc fonte ijs Monasteriis, quae hac ope magis indigere a Capitulis recognita fuerint, ita disposuit; ut Quinquaginta millia Nro 50000 fl Pol: cedant Monasterio Ledensi, in quo Domus Recollectorum fundanda venit, cum Onere celebrandae perpetuo Missae cantatae semel de Anno cum duplici parastasi seu Officio defunctorum, et Missa legenda a quolibet ex Patribus Ejusdem Monasterii ac offerenda pro Animabus eorum omnium, qui ad Incrementum ejusdem Cassae quocunque modo de suis derelictis concurrere.

Residuum autem fl. Pol. trecentos triginta asses tredecim cum dimidio Nro 330. asses 13 cum dimidio applicavit Monasterio Verchoviensi.

Respondendo item votis et precibus ARRdis Alexandri Baranski Rectoris Vladimiriensis de Sublevando suo Collegio, quod propter amplitudinem Fabricae non mediocres sumptus postulat, Capitulum praesens servando fidem promissi Sessione 3tia dati eidem Collegio cessit Aureos Nummos Sexcentos Septuaginta quinque Nro 675. olim a pio functo VARP Samuele Nowicki Consultore Provinciae Superiore Vilnensi a Monasterio Berezweczensi in rem sui Monasterii mutuo acceptos, nunc

autem.

autem a Monasterio Vilnensi repetendos, et Collegio Vladimiriensi aut in natura ea solvendos, aut ex eadem summa annuum censum pendendum. huic praesentis Capituli memoratae summae 675 aureorum nummorum pro parte Collegii Vladimiriensis dispositioni ARP Ambrosius Synhajewski Monasterio suo a Vilnensi debitorum qua Superior ejusdem Monasterii Berezweccensis benigne annuit. Ad Complementum Summae Mille Aureorum Nummorum praefato Collegio Vladimiriensi promissorum Monasterium Vilnense Aureos Nummos Centum № 100. Monasterium Kazimiroviense Aureos Nummos Viginti quinque № 25. Monasterium Torokanense Aureos nummos centum № 100. qui post fata VARP. Constantini Rogowski ex Consultoris Provinciae ejdem Monasterio Torokanensi erant inscripti, libenter obtulere.

Praeterea Prs Rmus Dnus Proto-Archimandrita ob singularem suam in id Collegium benevolentiam de proprio peculio Aureos nummos Quinquaginta № 50. alteros autem quinquaginta a se conquirendos liberalissime appromisit.

Facta distributione Cassae subsidionalis VARP Innocentius Milanowski Exter Provinciae Superior Berunensis attulit preces pro Monasterio suo, ut Ei Summa duor millium florenor ex Cassa subsidionali ad sustentationem Religiosorum mutuo accepta benigne condonaretur. Patres Congregati reperuerunt non restare amplius in Cassa subsidionali praeter mille nongentos florenos Polonicales № 1900. Post pie functum VARP Justinum Czechowski ex Consultorem Provinciae et ex his reddi debere mille florenos № 1000. Monasterio Minscensi, residuum autem nongentos scilicet florenos cedere nunc Monasterio Berunensi cum promissione ejusmodi: quod ex futuris derelictis futurum Capitulum Provinciale eidem clargietur mille centum florenos. 1100. in compensationem duor millium florenor, quos nunc Monasterio Lavdensi pro Domo Recollectionis Monasterium Berunense restituere tenetur.

Ut indemnitati Summar consulatur, serio praecustoditum est praesentis Capituli Judicio, ut tam Summa quinquaginta millia florenor pro re Monasterii Lavdensis, quam summa mille aureor nummor pro parte Collegii Vladimiriensis neutiquam sub quocunq praetextu distrahatur, sed in integro sub vigilantia et Protectione Venerabilis Officii Provincialis maneat et conservetur.

Non secus cautum est, ut Summa Monasterii Torokanensis Viginti Millia florenor Pol. № 20000. singulari cura, industria et rei oeconomicae scientia per ARP Ignatium Baranowski Superiorem Torokanensem collecta, et in annuum censum apud Illmum Dnum Stanislaum Soltan Vexilliferum MDL. Capitaneum Stonimensem locata pro Summa capitali nec unqm expendibili retineatur.

In partes Beneficii subsidionalis venit postremo Collegium Swerznense, quod cum impar sit ob tenuem fortunam persolvendo subsidio Charitativo exportante pro Anno florenos Pol. Ducentos sexaginta octo. et asses Viginti 268. Gr 20. provisum est Ei paterna Prs Rmi Dni Proto Archimandritae sollicitudine, ut ejus loco haec Summa de Monasterio Rohaczewiensi ex speciali conventione et acceptatione quotannis persolvatur.

Sessio 6ta

Die eodem apprandiis praeside eodem Ill. Rmo Dno Proto-Archimandrita pergendo Capitulum in discutiendis sancitis Capituli provinciali Torchanensis eam legem, qua usus Crematı junioribus Religiosis serio prohibetur, in integro approbavit, ac in perpetuum ratam firmamq esse voluit.

Collaudato tandem studio ac zelo boni communis ARP. Ambrosii Synhajewski Superioris Berezwecensis ob intentatam litem Monasterio nostro Polocensi sub Dominium Rossiacum redacto de Praediis ejusdem Monasterii Czertwięty et Soditeniore nuncupatis ++ in compensationem bonorum Wierzbitow sub Dominio Rossiaco contentorum, sed jure fundationis ad Monasterium Berezwecense pertinentium, nuper autem a Monasterio Polocensi nulliter et via facti occupatorum; Praesens Capitulum injunxit Vbli Officio Provinciali, ut eandem causam ulterius continuare ac promovere satagat.

++ in ditionibus Reipublicae sitis.

His omnibus rebus, quae monasticam disciplinam, Regimen et Emolumentum totius Provinciae concernunt probe compositis et ordinatis designati sunt Judices Incorrigibilium VV AARR. PP. Maximilianus Wilczynski Proto Consultor Ordinis Superior Vilnensis, Josephus Narolski ex Consultor Provinciae, AARRPP. Januarius Kraskowski Superior Kazanensis. Sebastianus Jurkiewicz Sup Daronensis Damascenus Rymaszewski Sup Novogrodecensis Bartolomeus Kuczynski Professor Theologiae Ostrinensis substituendi in locum Judicum Actualium. Reliqui vero Judices Incorrigibilium illi sunt AARRPP. Sylvester Antonowicz Superior Zyrovicensis Josaphat Worosczala Sup Hetmensis, Remigius Jakubowicz Sup Brestensis Thadeus Lebedinski Sup Ledensis.

Attentis demum nonnullorum specialibus in Religionem meritis, quo et virtuti debitus honor conferatur, et Religiosi Juniores ad piam Emulationem et praeclara opera efficacius stimulentur, excitentur, et inflammentur. in Cathalogum Patrum in Provincia nostra Emeritorum cooptati sunt. VARP. Joachimus Czudowski ex Consultor Ordinis cui non secus ac VARP Narolski olim, adjudicata nunc est pensio trecenti flor. Pol., quorum dimidia pars ex Monasterio, in quo manebit, altera dimidia pars ex Cassa Provinciali praestanda est exsolvendo.

ARP. Hyeronimus Arteeki, Superior Minscen

ARP Teophilus Serafinowicz Sup Lyskovie

ARP Theoctistus Dorosowicz Poenitentiarius Zyrovic.

ARP Nicephorus Nowicz Praefectus Typographiae Vilnensis.

ARP Josaphat Liskiewicz Poenitentiarius Zyrovic.

ARP Adamus Korsak Poenitentiarius Berezwec.

Quibus laudatissimis Viris ea omnia jura, quae in Capitulo Generali Torchanensi sub titulo Emeritorum sunt praestabilita, salva firma ac rata fore Capitulum praesens solemnissime pronunciavit: addito: quod famulus Emeritorum a Superiore loci sit destinandus, idemq impensis Monasterii non solum alendus, sed etiam proportionate suo statui ac conditioni vestiendus.

Cum jam nihil discutiendum superesse videretur, Ill. Rmus Dominus Proto-Archimandrita Praeses Capituli praemissa brevi et eleganti adhortatione futuro Actui apposita electionem Provincialis ejusq Officii in diem undecimam mensis praesentis Novi Styli die 10 ejusdem pro colloquio et consilio mutuo Patrum in ordine ad Electionem futuri Superioris Provinciae destinata indixit, atq

atq ita sessionem solvit.

Sessio Una

Die praestituta electioni Mensis 8bris undecima N.S. Horis matutinis servatis de more et lege servandis sub praesidentia Rmi Illmi Dni Proto Archimandritae Congregationis lectoq Cathalogo Vocalium electus est per suffragia secreta, medietate plura in Superiorem Provinciae Lithvanae Rmus ac Rlgmus Dnus Pr Athanasius Falkowski vir pietate, eruditione ac meritis insignis.

In Proto Consultorem Provinciae VARP Innocentius Milanowski.
In Consultorem secundum VARP Sylvester Antonowicz
In Consultorem tertium VARP Ignatius Baranowski
In Secretarium Provinciae VARP Theodosius Gyżewski omnes pariter per suffragia medietate plura

Finito actu electionis et praestito juramento tam a Rndmo Pre Provinciali quam ejs Officialibus, in gratiarum actionem DEO decantatus est Hymnus Ambrosianus, eoq finito Neo Electus Rmus Provincialis debita ac festiva apprecatione nec non homagio Rligiosae subjectionis ac Venerationis pro Pre et Superiore Provinciae ab Omnibus est exceptus, atq recognitus.

Sessio Ultima.

Die 15ta mensis praesentis N.S. horis matutinis Praeside Rmo Rmo Dno Proto Archimandrita Congregationis in hac Sessione ad propositione VARP Innocentii Milanowski Proto Consultoris Provinciae, qua conquestus est suum Monasterium Borunense, cui hucusq praeerat, nimia obligationum multitudine gravatum esse, postulavitq ut sibi in hac rerum angustiis levamen aliquod a Provincia adferatur, accedentibus etiam precibus Patrum Congregatorum Rmus Pr Provincialis benigne suscepit sex millia missarum Sacelli Borunensis in singula monasteria distribuenda, Monasterio autem Hetmanensi eandem opem promisit se allaturum, postquam missae Ecclesiae Borunensis absolutae fuerint. pro simili casu censuerunt Patres supplicandum esse Sacrae Sedi Apostolicae pro optinenda gratia moderaminis obligationum respectu aliorum Monasteriorum.

Postremo confecta est nova scheda contributionis ad Cassam Provinciae ad occasione liberati Monasterii Torokanensis a solvendis ad eandem Cassam Ducentis florenis Polonicalibus ob imminentem residentiam Rmi Officii Generalis est q pro futuris temporibus ejusmodi=

	Flor		
Antopolitanum sol flor - - -	182	Chomscense - - - - - -	52
Berezvecense - - - - - -	500	Czerense - - - - -	150
Bialense - - - - - -	100	Czeronense - - - - -	60
Borunense - - - - - -	230	Darossense - - - - -	120
Braslaviense - - - - -	100	Dermanense - - - - -	300
Brzitense - - - - - -	100	Dobrihorense - - - - -	100
Bytenense - - - - - -	390	Dorohobozense - - - - -	60
Hetmanense - - - - - -	170	Drohiczynense - - - - -	20
Ceprense - - - - - -	80	Dubnense - - - - -	100
		Grodnense - - - - -	80

Helianoviense	60	Rohoviense	40
Htusznense	70	Rożanense	50
Jabłonoviense	13	Srèlecense od Brahin	80
Jakubsztadense	52	Suchoviense	90
Jllukstanum	65	Sucheviccense	10
Kazimiroviense	150	Swerznense	10
Kassutense	120	Turzyscense salva solutione annua deni gratuiti pro monasterio Drohicinensi	40
Kobrynense	80	Troccense	2
Ladense	150	Uszacense	50
Lyshoviense	150	Werchoviense	20
Leszczynense	100	Wolnense	100
Lauryszewiense	126	Wilnense	350
Łoheyscense	50	Vladimiriense	40
Mirense	40	Zydyczynse	300
Minscense	180	Żyrowicense	400
Nowodworense	80		
Nowosielecense	30		
Poddubicense	30		
Połocense abbatiale	100		
Postaviense	20		

Porphyrius Skarbek Ważynski Ord[is]
S. Basilii M. Congr[is] Ruthenor[um]
Protoarchimandrita Abbas Zidiczyn[ensis] m[anu] p[ropria]

Athanasius Falkowski Ordinis S. Basilii M. Provinciae Litt[ae] Superior.

Maximilianus Wilczynski Ord[is] S. B. M. Prov[inci]ae Consultor Gen[era]lis m[anu] p[ropria]

Innocentius Milanowski Ord. S. B. M. Lto Consultor Pr. Lit.
Silvester Antonowicz Ord[is] S. Basilii M. Consultor Provinc[iae]
Ignatius Baranowski Ord[is] S. Basilii M. Consultor [Prov]. Lit.
Theodosius Gozdziewski OSBM Secret[arius]
Damascenus [...]naszek OSBM Notar[ius]

1780. [illegible]

PROTOARCHIMANDRITÆ. O. S. BASILII. M. CONGR. RUTHEN. SIGILLUM.

TRINITATIS
ORDINIS S BASILII